

ꝑ. Potest id facere: nam sicut mutuum petere de se est res indifferens, & ex sua natura licita, sic etiam possunt petere mutuum ob iustas rationes, licet mutuum dans ex hoc occasionem sumat peccandi. Dein sicut motivum ædificandæ domus est legitimum, sic etiam in casu, quo Petrus alio modo totaliter ædificium domus perficere non posset, nisi mutuum accipiat pecuniam pro censu, licitum est mutuum petere pro censu. C. B.

CASUS LXIX. Cajus mutuavit Petro mense Maio decem modios tritici hac conditione, ut Petrus mense Augusto mutuet Cajo decem mensuras vini, quo Petrus perbene provifus est. An iste contractus usurarius est?

ꝑ. Est usurarius: nam juxta regulam generalem omnis conditio onerosa mutuo extrinseca, si mutuo additur, contractum usurarium facit. Hinc Cajus, qui talem contractum cum Petro fecit, usuræ reus est; quia obligatio, quam Petro imposuit, pretio æstimabilis est. C. B.

CASUS LXX. Cajus cum Petro quandam pecuniæ summam mutuasset, se obligavit, se eam non repetiturum ante triennium. Verum cum prævideret, durante triennio damnum aliquod sibi fore sufferendum, aut lucrum quoddam fore perendum ob defectum pecuniæ mutuo datæ, petit a Petro censum, nimirum 3. pro 100.

ꝑ. Potest censum petere absque usura: nam titulus, vi cuius censum petit, est totaliter extrinsecus mutuo, & hinc sufficiens, ut possit exigere censum; præsertim si Petrus se non vellet obligare ad compensationem damni a Cajo sufferendi, aut lucri perdendi. C. B.

CASUS LXXI. Petrus mutuans Joanni 100. imperiales se obligavit, se eos intra biennium non repetiturum. Potestne vi hujus saxe obligationis aliquid ultra summam principalem exigere?

ꝑ. Non potest: id ipsum enim damnatum est ab Alexandro VII. in propositione quadragesima secunda. Ista Petri obligatio nil aliud est quam prolongatio mutui, aut novum virtualiter mutuum, pro quo non potest quidquam accipi, sicuti nec pro formali mutuo. C. B.

CASUS LXXII. Petrus tradidit Cajo 100. oves, quas æstimari fecit, & cum Cajo convenit, ut Cajus, quando oves vendit, restituat Petro juxta æstimationem in traditione ovium factam, interea usquedum eas vendat, lana, & lucrum ex eis a Cajo factum inter se dividatur,

ꝑ. Iste

ꝑ. Iste contractus est usurarius, nam in eiusmodi contractibus omne periculum sufferendum est illi, qui sortem principalem tradidit, nisi novo contractu assicuracionis alius periculum subire debeat, hinc cum in proposito casu novus contractus assicuracionis non detur, contractus erit usurarius. C. B.

CASUS LXXIII. Titus emit domum hac conditione, ut summam pro ista domo persolutam, si sibi ita placuerit, possit repetere, & tali modo domum restituere.

ꝑ. Iste contractus est validus; quia non existat lex prohibens, ne in emptione addatur conditio venditori onerosa, & emptori favorabilis, si onus venditori impositum compensetur pretio majori. Talis igitur contractus non est usurarius. In presenti etiam casu non agitur de simplici mutuo, sed de vera emptione; hinc si domus periret; emptori periret, pariter & redditus, si qui e domo provenirent, emptori provenirent. C. B.

CASUS LXXIV. Quidam mercator non habens merces, quas quidam ab illo emere cupit, simulat se eas habere; interea adit vicinum suum, & ab eo pro 9. florenis desideratas merces emit, easque pro undecim florenis vendit petenti.

ꝑ. Lucrum istud licite percipere potest; supposito tamen quod non excedat iustum pretium mercium dictarum. C. B.

CASUS LXXV. Callistus indigens mille florenis censum constituit in prædio triginta dumtaxat florenos reddere solito, & obligat se ad dandos quotannis alios decem aut viginti, quos ex industria sua lucraturum se sperat. Estne licitus hic contractus?

ꝑ. Est illicitus; quia ex parte fundatur in persona: Bulla autem Pii V. *Cum onus*, declarat omnes contractus usurarios, qui non penitus fundantur in re immobili. C. B.

NOTA. Bulla S. Pii V. disponit pro statu Ecclesiastico. Censum æquus constitui potest in officio vel industria personæ, ac in re immobili; nam quia cessante officio vel industria deficit titulus exigendi censum, hoc ipsum periculum amittendi officii vel defectus virium præbet titulum exigendi auctarium sortis.

USUSFRUCTUS.

1. *Ususfructus* vocatur jus, quo quis gaudet, utendi ac fruendi re aliqua, cujus proprietate ad alium pertinet. *Ususfructus*, ait lex, est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia. Dicitur i. *Jus*, id est, legitima potestas, qua

Dist. Cas. Cons. Tom. III.

Y y

qua

qua usufructuarius a domino rei privari non potest. 2. Jus *utendi*, ut distinguatur usufructus a deposito, quo depositarius uti non potest sine consensu deponentis; cum tamen usufructuarius plenum ac integrum habeat usum omnium fructuum, reddituum ac commodorum perceptibilium ex re in usum fructum concessa, idque sine omni reservatione aut exceptione juxta verba legis: *Omnis fructus rei ad usufructuaria pertinet*. Dicitur 3. *Fruendi*, id est, jus percipiendi ac suos faciendi fructus provenientes ex re titulo usufructus possessa. Additur denique 4. hæc conditio: *Salva rerum substantia*; quia usufructuarius non potest privare dominum proprietate rei suæ, nec eam diminuere aut deteriorare.

2. Jus usufructus variis potest fundari titulis, scilicet lege, consuetudine, conventionæ, testamento aut donatione.

3. Usufructuarius eo momento, quo acquisivit usufructum, fructus ad usum aptos facit suos; & dum usufructus per mortem usufructuarii expirat, omnes fructus percepti ac collecti ante mortem ipsius, separatique a fundo, etiam si ibi adhuc detenti, ad hæredes ejusdem pertinent; nisi per ipsum usufructus titulum aliud fuerit constitutum, aut contraria consuetudo vigeat, prout viget respectu dotis in quibusdam provinciis.

4. Si Usufructuarius fructus locavit alteri, & post eorum collectionem moriatur, etiam si præfixum tempus solutionis nondum advenerit, integrum tamen locationis pretium cedit & solvendum est ejus hæredibus.

5. Quando fructus non nisi successive acquiruntur, ut in locatione ædium, usufructuarius tantum ex iis percipit, quantum habita ratione temporis, quo duravit ipsius jus, ei debetur; reliquis fructibus ad dominum rei pertinentibus.

6. Usufructuarius habet jus colligendi scenum & olivas, antequam ad perfectam maturitatem pervenerint; non autem frumentum & uvas.

7. Immutationes utiles aut noxiæ fundo advenientes uni-
ce respiciunt usufructuarium, qui ejusmodi immutationes pro libitu potest facere, dummodo non deterioretur fundus, sed potius in futurum augeantur redditus.

8. Si

8. Si dominus fundi fundum prius locatum tradat alteri titulo usufructus, usufructuarius potest interrumpere locationem, nisi contrarium determinatum sit in ipso titulo.

9. Usufructu expirante usufructuarius non habet jus petendi compensationem meliorationum aut augmentationum, quas fecit in fundo, sed tantum reparacionum necessariorum, quas fecit ultra eas, ad quas obligabatur. *Si quid ultra, quam impendi debeat, erogatum potes docere, solemniter reposces*; sunt verba legis.

10. Ille, cui acquiritur usufructus emptione, donatione, aut per testamentum, necessario ab eo, a quo acquisivit usufructum, aut ab hærede ejus, aut a legatario in eo statu collocandus est, ut possit gaudere usufructu. Idem tamen non dicendum de aliis commodis non absolute necessariis ad hoc, ut possit gaudere usufructu.

11. Usufructus titulo generali acquisitus comprehendit non solum bona incommobilia, sed etiam mobilia, ino & usu consumptibilia. Ex usufructu animalium usufructuarius habet omnem utilitatem, quam potest exinde percipere; verum tenetur reddere eundem numerum animalium Domino aut ejus hæredi. Si tamen animalia ejusmodi non producerent alia sibi similia, non teneretur resarcire ea, quæ absque sua culpa perirent.

12. Usufructuarius statim ab initio debet conficere inventarium rerum, quarum usu gaudet, ut manifestum fiat, quo in statu constitutæ sint res, ex quibus fructum capere ag-
greditur.

13. Proprietarius, aut quivis alius, cujus interest, habet jus exigendi ab usufructuario cautionem necessariam pro conservacione fundi, & ejusdem restitutione.

14. Usufructuarius non potest quidpiam in fundo deteriorare, aut immutare, quod pro decoratione ejusdem, aut etiam meræ voluptatis gratia in eo positum est. Ipsi præterea incumbit omnibus oneribus usufructus satisfacere, reparaciones minores facere, arboribus arefactis alias substituere, resque omnes in bono statu conservare. Non tamen tenetur ad reparaciones majores, nisi in casu, quo eas ex propria ipsius culpa necessario faciendæ sunt.

Y y 2

15 Pro-

15. Proprietarius nihil potest addere aut immutare in locis aut rebus usufructui alterius subjectis: id si faceret, teneretur ad præstandum damnum & interesse legitimum.

16. Denique non tenetur usufructuarius ad ea reparanda, quæ jam tunc destructa erant, dum usufructum sibi acquisivit. Jus usufructuarii est personale; & cessat. 1. Per mortem ipsius naturalem aut civilem. 2. Per eventum conditionis, si jus usufructus cuidam conditioni alligatur. 3. Quando perit fundus incendio, inundatione, aut alio casu fortuito. Combusta, vel corruente, aut alio modo totaliter destructa domo nullum prorsus jus relinquitur usufructuario ad fundum, in quo posita erat domus. Si tamen una tantum pars domus fuisset destructa, altera parte manente integra, remaneret illi usufructus etiam in parte destructa, tanquam in accessorio ad principale, posito, quod usufructus sit particularis, & tantum alligatus ad domum.

CASUS I. Paulinus ex legato obtinet ad sexennium usufructum gregis ovium quingentarum, ex quibus sine ejus culpa ex casu mere fortuito perierunt quinquaginta. An tenetur hæredibus defuncti resarcire jacturam quinquaginta ovium?

R. Tenetur restituere integrum numerum gregis, & resarcire quinquaginta oves: percepit enim lucrum ex lana, agnis & stercore. *Plane si gregis vel armenti sit usufructus legatus ait L. Vetus. 68. §. 2. ff. Lib. 7. Tit. 1. debet ex adgnatis gregem supplere, id est, in locum capitum defunctorum.* Aliud dicendum, si legatum constitisset in animantibus ad sui propagationem ineptis, ac consequenter fieri non posset compensatio earum, quæ casu fortuito perierunt; ut si v. g. legati fuissent sex equi aut muli jugales, aut equus unicus. *Pontas.*

CASUS II. Augustinus ad decennium habuit usufructum cujusdam prædii, confecto statim ab initio aditæ possessionis inventario. Cum autem obiisset præcise sub finem temporis, quo expiraverat usufructus, proprietarius advertit, deesse centum arbores frugiferas, quæ fuerant emortuæ, & corruisse quoddam ædificium prædii, quamvis ante decennium fuerit adhuc in bono statu; petitque compensationem damni ab hæredibus Augustini.

R. Quoad arbores frugiferas, tenentur hæredes Augustini compensare damnum: usufructuarius enim debuisset meliorare, & non deteriorare fundum. *Debet enim (fructuarius) omne, quod diligens paterfamilias in sua domo facit, & ipse facere, ut habetur Leg. Sed cum. 65. ff. Lib. 7. Tit. 1.*
Et

Et fructuarius causam proprietatis deteriore facere non debet Leg. Si cujus. 13. ibid. Quod attinet ad ædificium prædii, hæredes pariter tenentur ad compensationem damni, si corruit ex defectu necessariorum reparacionum. Eum, ad quem usufructus pertinet, facta tecta suis sumptibus præstare debere, explorati juris est. *Leg. Eum. 7. Cod. Lib. 3. Tit. 33. Pontas.*

CASUS III. Philibertus legavit Mævio usufructum cujusdam Toparchiæ; ubi, quamprimum ejusdem possessionem adiit, loco arborum inutilium in deambulatoriis plantavit frugiferas; diruit ædificia inutilia, quorum reparaciones magis exigebant sumptus; & fundos steriles destinatos pro deambulatione reddit fertiles. Nihilominus mortuo post decennium Mævio hæredes Philiberti exigunt ab hæredibus Mævii compensationem illati damni. Nam iuste?

R. Iuste eam exigunt; quia non est in potestate usufructuarii mutare statum rei. Ita habetur *Leg. Si cujus. 13. §. 4. ff. Lib. 7. Tit. 1. Et non debet neque arbores frugiferas excidere, neque villam diruere, nec quidquam facere in perniciem proprietatis. Et si forte voluptarium fuit prædium, viridaria vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosas opacas atque amoenas habens, non debet deicere, ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad redditum spectat. Pontas.*

CASUS IV. In silva triginta aut quadraginta arbores vento dejectæ sunt; & Caspar, qui habet usufructum prædii, cui silva annexa est, eas cum quibusdam aliis emortuis cædi ac domum suam deferri iussit, tanquam ad se pertinentes. Verum proprietarius petit restitutionem. An ad eam tenetur Caspar usufructuarius?

R. Arbores a vento dejectæ pertinent ad dominum fundi, cujus est eas, ne usufructuario damnum inferant, amovere, & si velit, alias plantare: hinc Caspar tenetur domino fundi ad restitutionem arborum dejectarum, vel ad solutionem pretii. *Leg. Arbores. 59. ff. Lib. 7. Tit. 1.* Nihilominus si Caspar has arbores ad structuram aut necessariam reparacionem prædii, in quo habet usufructum, applicasset, non teneretur ad restitutionem. *Leg. Arboribus. 12. ibid.* Quod attinet reliquas arbores emortuas & arefactas, hæc pertinent ad usufructuarium, cum obligatione tamen alias plantandi. *Leg. Agri. 18. ibid. Pontas.*

CASUS V. Theodorus in testamento legavit Davidi usumfructum suæ vineæ, & moritur eo ipso die, quo vindemia pro Theodoro inchoanda erat. Ad quem pertinent fructus vineæ?

ꝑ. Pertinent ad Davidem, cui jus ususfructus jam erat acquisitum, antequam vindemia inchoata fuerat. *Si pendentes fructus jam maturos reliquisset testator, ut dicitur Leg. Si pendentes. 27. ff. Lib. 7. Tit. 1. fructuarius eos feret, si die legati cedente adhuc pendentes deprehendisset: nam Et stantes fructus ad fructuarium pertinent. Idem dicendum foret, si fructus fuissent locati ab usufructuario, qui dein post eorum collectionem obiisset, etsi tempus præstandæ a locatario solutionis nondum advenisset. Leg. Defuncta. 58. ibid. Pontas.*

CASUS VI. Hervæus usufructuarius erat silvæ cædæ, stagni, & agri frumentarii. Ligna jam erant cæsa, sed adhuc relicta in fundo; pariter pars frumenti jam erat mæssa, sed adhuc in agro detenta; piscationem in sequentem diem indixit, & omnia parari jussit. Tactus autem apoplexia insequente nocte moritur. Queritur jam, ad quem pertineant ligna cæsa, frumentum mæssum & proxime metendum, & jus piscandi in stagno?

ꝑ. Quando ususfructus expirat tempore, quo actu colliguntur fructus, separati a fundo, licet adhuc remanentes in fundo, pertinent ad hæredes usufructuarii; fructus autem nondum separati a fundo pertinent ad dominum fundi. Hinc ligna cæsa, & pars frumenti mæssa pertinent ad hæredes Hervæi; non mæssa autem & jus piscandi in stagno ad dominum fundi. *Si fructuarius mæssum fecit, Et deceffit, dicitur Leg. Si fructuarius. 13. ff. Lib. 7. Tit. 4. stipulam, quæ in mæsse jacet, hæredis ejus esse Labeo ait: spicam, quæ terra teneatur, domini fundi esse. Nihilominus hic advertendum 1. Potissimam hæc in re rationem habendam esse tituli, ex quo acquiritur ususfructus. 2. Hic non agi de Beneficiis, neque de iis, qui Beneficia possident. Fructus illius anni, quo Beneficiatus decedit, quique ex usu recepto incipit primo Januarii, in Gallia dividuntur inter hæredes defuncti & successorem ejus, habita ratione temporis, quo defunctus eo anno deserviebat suo Beneficio. Pontas.*

CASUS VII. Jodocus per testamentum legavit Joanni & Jacobo usumfructum prædii, cujus annui redditus sunt 400. floreni, ut eo conjunctim gauderent, quamdiu viverent. Tribus mensibus post aditam possessionem moritur Jacobus. Cuiam accrescit dimidia pars ususfructus, Joanni, an hæredibus Jodoci?

ꝑ. Quan-

ꝑ. Quando sunt duo usufructuarii ejusdem rei, superstiti accrescit portio defuncti. *Quoties ususfructus legatus est, ait lex Quoties. 1. ff. Lib. 7. Tit. 3. ita inter fructuarios est jus adcrendi, si conjunctim sit ususfructus relictus. Id tamen solum intelligendum est de usufructu duobus aut pluribus conjunctim relicto. Hinc Joanni obvenit ususfructus in toto prædio. Cæterum, addit eadem lex, si separatim unicuique partis rei ususfructus sit relictus, sine dubio jus adcrendi cessat. Pontas.*

CASUS VIII. Sabinianus gaudebat usufructu cujusdam magnæ domus, quæ tamen fulmine tacta in flammam abiit. Potestne dominus fundi sibi vindicare relicta materialia, & disponere de loco, in quo exstructa erat domus? an usufructuarius?

ꝑ. Jus ususfructus alligatur solum rei, quæ usufructui alterius subjicitur, nec attingit reliqua bona. Hinc dominus fundi potest disponere de relictis materialibus, & de loco, in quo posita erat domus combusta. *Est enim usufructus jus in corpore; quo sublato Et ipsum tolli necesse est. L. Est enim. 2. ff. Lib. 7. Tit. 1. Verum si ususfructus foret acquisitus in totalitate bonorum, usufructuarius conservaret suum jus in locum combustæ domus, & in residua materialia, tanquam in partem universalitatis bonorum. Leg. Quoties. cit. Pariter a regula generali excipienda sunt bona campestria & rustica: si enim ædificium ejusmodi prædii periret, usufructuarius haberet jus in aream seu locum, cui ædificium superstructum erat, tanquam in accessorium & partem universalitatis bonorum. Leg. Fundi. 8. & Leg. Sed Et 9. ff. Lib. 7. Tit. 4. Pontas.*

CASUS IX. Michael usufructuarius cujusdam fundi in eo reperit lapicidinam; quam proin aperit, & in lucrum suum convertit. Potestne absque injustitia sibi attribueret lucrum ex lapicidina?

ꝑ. Lapides, gypsum, aliaque materialia, quæ ex lapicidina extrahuntur, habent rationem fructuum; & consequenter absque injustitia ea sibi attribuit usufructuarius. *Leg. Si cujus. 13. §. 5. ff. Lib. 7. Tit. 1. Verum hæc ipsa lex addit: Si nihil agriculturæ nocebit. Quod indubitanter fieret, si hæc lapicidina extaret in campo fertili, qui certe per effossionem terræ deberet destrui. Pontas.*

CASUS X. Sigismundus usufructuarius cujusdam domus eam ad annum locavit alteri pro 300. florenis, incipiente locatione primo Januarii, & pretio solvendo semper expletis sex mensibus. Interea autem primo Aprilis obit Sig-

gif-

gismundus. An pretium locationis pro tribus elapsis mensibus, nempe 75. floreni, ad hæredem Sigismundi pertinet?

ꝑ. Jure hoc pretium præten dit hæres Sigismundi: redditus enim, qui ex usufructu successive & de die in diem aquiruntur, pertinent ad usufructuarium pro rata temporis. Leg. *Si operas.* 26. ff. Lib. 7. Tit. 1. *Pontas.*

CASUS XI. Casimirus gaudet usufructu cujusdam exigui fundi a Leandro sibi legati. Post biennium autem tempore belli varia huic fundo imponuntur onera. Quis ea præstare tenetur? num Casimirus, num hæres Leandri?

ꝑ. Quilibet usufructuarius tenetur præstare onera fundi, ejus usufructu gaudet. Leg. *Si pendentes.* 27. ff. Lib. 7. Tit. 1. ubi dicitur: *Si quid cloacarum nomine debeatur, vel si quid ob formam aqueductus, qui per agrum transit, pendatur, ad onus fructuarii pertinebit. Sed & si quid ad collationem viæ, puto hoc quoque fructuarium subiturum. Ergo & quod ob transitum exercitus confertur ex fructibus.* Hinc hæres Leandri ad nihil tenetur ratione onerum impositorum fundo Casimiro in usufructum legato. *Pontas.*

NOTA. Usufructuarius tenetur præstare onera ordinaria, v. g. ex incurfione hostium, quæ prævideri, ac proin deduci in pactum non poterant.

CASUS XII. Leo usufructuarius scœnum integro mense prius demessuit, ac consuetum erat; & statim post moritur. Dominus fundi præten dit restitutionem.

ꝑ. Præten sio hæc est injusta: Leo enim juste ante consuetum tempus potuit demetere scœnum, ac domum ayeherere; quia dantur quidam fructus, qui utiliter vel saltem ex consuetudine ante plenam maturitatem colliguntur, inter eos lex *Si absente.* 48. ff. Lib. 7. Tit. 1. numerat etiam scœnum, dum ait: *Silvam caduam, etiamsi iniempestive caesa sit, in fructu esse constat; sicut olea immatura lecta, item scœnum immaturum casum in fructu est.* *Pontas.*

CASUS XIII. Geofredus reliquit Delphio per testamentum pro usufructu prædium & horreum, quod tamen uno die ante mortem Geofredi vetustate exesum corruit. Delphius petit ab hæredibus Geofredi, ut novum extrui curent horreum. Num juste id petit?

ꝑ. Dominus fundi nunquam tenetur ad restituendum aut reficiendum id, quod destruitur aut deterioratur eo tempore, quo usufructus est acquisitus usufructuario, nisi damnum sua culpa acciderit, aut vi tituli ad id obligetur. Hinc præten sio Delphii nullo nititur fundamento, totumque ip-
fius

fius jus consistit in eo, quod possit gaudere usufructu rei legatæ in eo statu, in quo res est tempore acquisiti usufructus. *Non magis hæres rescicere debet, quod vetustate jam deteriorius factum reliquisset testator, quam si proprietatem alicui testator legasset.* Leg. *Sed cum.* 65. ff. Lib. 7. Tit. 1. *Pontas.*

CASUS XIV. Artus legavit Cajo usumfructum in vastissimo prato, ad quod perveniri non potest, nisi per fundum Mævii filii defuncti Arti; cui hic ipse fundus ex hæreditate paterna obtigit. Mævius autem negat transitum. An jure?

ꝑ. Injuste hoc negat: dum enim legatur cuidam usufructus in re, aquiritur ipsi jus ad id, quod absolute necessarium est ad hoc: ut possit fructum capere ex re. Leg. *Si fundo.* 1. §. 1. ff. lib. 7. tit. 6. *Pontas.*

CASUS XV. Octavius legavit Fabio usumfructum in fundo ante breve tempus ad quinquennium locato alteri. Mortuo Octavio Fabius nondum elapso quinquennio vult expellere locatarium. An jure?

ꝑ. Fabius absque injustitia potest expellere locatarium: usufructuarius enim gaudet jure interrumpendi locationem a proprietario factam non minus ac emptor rei locatæ. Leg. *Arbores.* 59. §. 1. ff. Lib. 7. Tit. 1. *Pontas.*

CASUS XVI. Sylvius legavit in testamento Maglorio usumfructum quatuor jugerum prati, in quo tamen post conditum testamentum Sylvius ædificavit domum, & reliquum fundi convertit in hortum. Mortuo Sylvio præten dit Maglorius usumfructum domus & horti. Num illi debetur?

ꝑ. Mutatio ab ipso testatore ante mortem facta in fundo legato clare denotat, quod etiam mutaverit voluntatem, & legatum annullare voluerit. Hinc præten sio Maglorii prorsus caret fundamento. *Si aræ sit usufructus legatus, & in ea ædificium sit positum, rem mutari & usumfructum extinguï constat. Pene si proprietarius hoc fecit, ex testamento, vel de dolo tenebitur.* Leg. *Repeti.* 5. §. 3. ff. lib. 7. Tit. 4. *Pontas.*

CASUS XVII. Arnulphus usumfructum prædii reddituum 200. florenorum legavit Faustino, qui paulo post ob grave crimen ad virgas & exilium condemnatus est. An ob id legatum Faustino factum suo effectu caret?

ꝑ. Si exilium, ad quod fuit condemnatus Faustinus, est perpetuum, habendus est pro civiliter mortuo, & totaliter excidit jure usufructus. §. *Finitur.* 3. Instit. Lib. 2. Tit. 4. *Pontas.*